

gis benevolentia , ac nobilissimæ gentis in Venetum nomen propensio , pro eadem officio , auctoritate , viribus nitatur , ut Regi de Republica , ac de toto Christiano orbe optime merito ex indignissima servitute erepto libertas restituatur , qua salus , atque incolumitas rerum , filiorum , ac totius Galliæ regni , veluti fulcimento , sustentatur . Ad hæc rescripsere Patres , ægerrime Regis casum Rempublicam tulisse , nihilque accidere illi molestius potuisse , quam Regem illum , quem semper summa observantia coluerat , in has ærumnas incidisse . Ceterum tela ictusque fortunæ , qua varie humanæ res commoventur , ac veluti fluctibus agitantur , fortiter perferre id demum esse animi vere regii ; cum præcipue res eo loco sint , ut omnia sperare fortunatum exitum jubeant ; atque incredibili providentia totius regni incolumitati , sapientissimis reginæ consiliis , prospectum fuerit : nihil magis Senatui cordi esse , quam ut celerrime rex pristinam libertatem consequatur ; in eo omnem operam , studium , curam , quantum in se erit , adhibiturum . Verum magnas res sæpius prudentia , & cunctatione mortales assequi ; quocirca cum opportunitas affulserit , nihil ad tantam rem consequendam Senatum prætermisurum . Eodem ferme tempore Hieronymus Caracciolus , & Alphonsus Santius , ut novum fœdus a Republica cum Cæsare iniretur , a Senatu flagitabant . Patres minime de nova agere societate , cum prior sufficere videretur , necessarium arbitrabantur ; cum acrius instarent , ne difficillimis temporibus prorsus pacis consilia aspernari viderentur , Senatus decreto responsum est . Si in ea sententia permaneant , novique fœderis Pontificem caput , ac principem esse velint , non recusaturos . Verum cum in dies mora negotium protraheretur , & Pontifex cum Cæsareanis concordiam , pacemque firmasset , Mediolani Dux , Prorege non dissentiente , Equitem Bilium Venetas misit , qui Collegium ingressus Ducis nomine significavit , mentem Proregis esse , ut novi fœderis mentione præterita , vetus confirmaretur : cum copiæ Reipublicæ Ticinensi prælio non interfuerint , & ob id , ut militum numero pares hostibus essent , ingentes impensas efficere Cæsareani coacti fuerint ; æquum censere , ut ea vis pecuniæ , quam ratio exposceret , a Republica persolveretur : petere idcirco aureorum millia centum , & viginti .

1525

*Senatus ad  
Reginam  
r̄spōsō.*

*Eques Bi-  
lius a Pro-  
rege , &  
Sfortia Ve-  
netias mis-  
sus .*

Ea